





DE PEDITU;  
EJUSQVE SPECIEBUS'

Crepitu & Visio:

DISCURSUS METHODICUS,

In Theses digestus:

Qvas

Præfide Clariff. Viro,

BOMBARDO STREVRTIO,

Clarefortensi,

Defendere conabitur,

BULDRIANUS SCLOPETARIUS,

Blesensis.

Disputabuntur autem in Ædibus Divæ Cloacinæ, à summo  
Mane, ad noctem usque mediam.

Habes hic Lector materiam plausibilem; sed & maximè utilem,  
non tantum Philosophis & Medicis, quorum hæc tractatio  
maximè propria est, verùm etiam Theologis, Jurisconsultis;  
tum Poetis, Criticis, Grammaticis, Nomenclatoribus,  
Musicis, tam Figuralistis quàm Choralistis, & tam  
Cantoribus quàm Symphonicis, Tibicinibus, Tubicini-  
bus, Liticinibus, Buccinatoribus, Utriculariis, & ne multis  
morer, tam foeminis quàm masculis omnibus, tam laicis,  
quàm clericis. Singuli enim hic habebunt, quod eos juvet.

CLAREFORTI,

Apud Stancarum Cepollam: sub signo Divi Blasii.

Anno MDC LXXI,





DE PEDITU,  
ejusque speciebus,  
DISCURSUS METHODICUS.

I.

**C**um omnis, quæ à ratione suscipitur de re aliqua institutio, debeat à Definitione proficisci, ut intelligatur, quid id sit, de quo disputetur: sicuti Author off. i. Panætium reprehendendo bene monet, sed statim suæ ipsius reprehensionis oblitus ibidem negligit: Idcirco de peditibus Methodicè differuri principium à definitione, ducemus.

II. Atq; ut vocabulum primò explicemus, Peditus Græcis *πῆδη* est, unde Saxonicum vetus, *Purren* vel *Gurren* quod superioribus Germanis levi mutatione sono, quàm sine sono erumpentes, sicuti ex *Gemmis Gemmarum*, *Sylvis vocabulorum*, *Dasipodij*s, *Lexicis*, & præcipuè sicuti *Ambrosio*, *Calpino*, alijsq; multis authoribus demonstrari potest. Licet aliqui importuni contra contendant, illud vocabulum pro ijs, qui cum sono emittuntur, & propriè crepitus dicuntur, frequentius usurpati, freti versiculo illo *Horatij Satyr. 8.*

*Nam displosa sonat quantum vesica pepèdi.*

In quo tamen versu pedere genericè sumi, quis non videt? Imò id necessario quoq; nobis defendendum, nisi Poëtæ illi doctissimo & maxime presso *Tautologias* & *superfluitatis vitium* impingere velimus, qui se pedere clarum crepitum significare putasset, differentia adjectâ, quæ peditus certam speciem, crepitum scilicet, exprimere voluit, minimè restringere opus habuisset.

III. Est autem peditus in genere flatus in imâ alvo conclusus, vel ex pituita redundante tepetactâ, & per imbecillum calorem resoluta, nondum verò discussa (ut medici volunt) vel ex cibariis atq; medicamentis instantibus (quod rustici defendunt) potissimum

natus, per podicem cum aut sine fonitu erumpens, quem ipsum vel natura sponte ad sanitatem corporis tuendam expulit, vel ars ejusdem naturæ ministerio ad delectationem produxit.

IV. Hæc definitio secundum Philosophi doctrinam perfecta est, omnesq; causas, & species breviter comprehendit, prout jam ordine videbimus. Atq; ut de genere constat, ita quoque de remotiore ejus causa, & quâ flatus ii gignuntur, pituitâ scilicet & cibis instantibus non nihil attenuatis, non est dubium, alias luculenter id demonstraturi.

V. Tepefactam verò & leviter attenuatam materiam esse oportere, constanter asserimus. Nam sicuti in calidissimis locis nunquam pluit, eò quod calor omnes fumos & evaporationes consumit; neq; etiam in frigidissimis, ubi propter intensissimum gelu nulli fumi exhalare possunt; Sed bene in mediis regionibus temperatis, sicuti rectè Bodinus in Meth Hist. cum Scalig. & Carda. differuit. Ita quoq; ætus vel calor justo major cibum non solum concoquit, & attenuat verum etiam vapores omnes dissolvit, discutit, consumit. Frigiditas verò cibum neq; concoquit, neque dissolvit; neq; fumum excitat. Sed bene exiguus calor, qui cum sit imbecillus, ideoq; cibos non perfectè conficere & excoquere, sed leviter saltem attenuare, ex iisq; vel pituitâ ventriculi & intestinorum hoc modo multos flatus excitare valet: quam rem magis promovet, si cibi ista natura instanti sint. Hi namque exiguo calore excitati fumos multos caliginosos & turbulentos reddunt. Licet hoc idem animadvertere ex comparatione Veris & Autumnii cum Æstate & Hyeme: item ex distillationibus, ubi modicus ignis materijs destillandis subjicitur.

VI. Dicitur porrò in definitione, per podicem erumpens, ad differentiam 1. Ructus vel eructationis, quæ ex eadem materia prodiens supernè egeritur, vel propter vicinitatem loci, vel propter alvi durtitiam, aut causam quampiam adfectatam. 2. Aliorum flatuum colicorum, &c. & Rugitus vel Latratus ventris, qui est ejusdem generis flatus intra intestina obmurmurans, nondum erumpens; Et est veluti prologus Comediæ aut prodromus futuræ tempestatis. Quo præcipuè virgines & mulieres laborant, quæ se validè constringunt, ut graciles videantur. Hæ enim cœcum intestinum sæpè præter naturam, Fernelio teste, flatibus repletum & valdè distentum habent,

habent, quæ intus pugnant non secus ac venti ab Aeolo in mentibus occlusi, &c.

VII. Excludit quoque hæc differentia cum reliquis in definitione positus. Ventriloquos vocem ex pectore emittentes: Siquidem flatus noster non est propriè vox vel interpretatio, neque etiam ex eadè omnino causa prodit. Ut sic differentia illa sit omninò bona, Modum peditus egregiè exprimens, quem & Horat (d. Sat. 8.) egregius artifex posuit, apud quem Priapus modum crepandi *ὑποπνῶσες* quadam per narium fissuram, id est podicem, declarat.

VIII. Superest in definitione causa finalis, quæ est vel sanitas corporis ab ipsa natura appetita, vel delectatio quædam ab Arte quaesita. Sed quædam de ea inferius inter effectus commodius dicentur. Illud saltem hic monendum, Malos fines à nobis meritò exclusos, siquidem a busus rei inter fines nunquam numeratur.

IX. Definitione explicata proximum est, ut ad divisionem accedamus. ejuſq; beneficio species venemur: speciebusque in ventis earum definitiones & affectiones quoque exponamus.

X. Summa autem pedituum divisio est in Vocales & mutos. Quæ divisio melior, quam illa Grammaticulorum divisio literarum in Vocales & consonantes, præterquam quod multis vitijs laborat, etiam *ἀντιθέσις* id est ex oppositis non est.

XI. Vocales propriè dicuntur CREPITUS, à crepando, quod iidem per certa sonorum discrimina crepant, quasi ima alvus esse crepitaculorum plena, teste Jodoco Willichio in suis de crepitu thesibus, Germanis dicitur, Ein Hallender Furg.

XII. Est autem CREPITUS nihil aliud, quam peditus cum sonitu ex siccoribus vaporibus genitus, qui pro varietate causarum & adjunctorum est vel magnus, vel parvus. Ille plenivocalis vel vocalis simpliciter & propriè: Hic Semivocalis dici potest.

XIII. Magnus vel plenivocalis est Crepitus cum sonitu majore prorumpens, tam propter instrumenta ampla & spatiosa (qualia sunt Rusticorum, quàm ingentem flatuum multitudinem, quæ causantur vel à ciborum flatulentorum copia, vel nativi caloris ventriculi & intestinorum imbecillitate, Germanis ein Baurenfurg.

XIV. Quæ definitio exemplis Tormentorum curulium & magnarum vesicarum, aut fistularum organicarum evidentissimè illustrari

strari & confirmari potest, & quidem multo melius, quam Aristophanes tonitrua & crepitus: signorum scilicet per ignotius conversa demonstratione demonstrat.

XV. Hi, sicut & tonitrua, vel Simples sunt, vel Multiplices. *Simplices* sunt, qui uno magno bombo simplici & momentaneo constant: quos Priapus apud Horat. aptissima similitudine à vesica distructa sumpta explanat. Nam de hoc genere eum ibidem loqui cuilibet obvium est dum ait. *Nam displosa sonat quantum vesica pepèdi.* Hi Germanis dicuntur, *Reißnollen.*

XVI. Multiplices (qui DIPHTONGI propriè dicuntur) sunt quando plures bombi magni discreti quidem sono, sed continuatis veluti spiritibus prorumpunt, non aliter, ac si 10. vel 20. Sclopetarii sua tormenta manuarum successivè per circuitum displodant. Germanis *Ein yerrenckter oder zerbißener Furg.*

XVII. Fiunt *Simplices*, quando materia similarium est partium, & copiosa, & foramen per quod erumpunt satis amplum, vel distentum & virtus robusta, uno nixu agens. *Diphongi*, verò, quando amplum quidem satis foramen est, & copiosa etiam materia, sed vel inæqualium partium, mixta ex calidis tenuibus & frigidis crassis humoribus: vel varium focum habens, & per diversas intestinorum partes diffusa. Unde etiam nec simul & semel resolvi, nec ipsæ intestinorum cellulis includi, nec uno impetu propulsari potuit: Sed diserte, incertis & inæqualibus intervallis, donec nihil superfit, excluditur, ita ut interdum etiam sonus inæqualiter intendi & remitti audiatur: Siq; accedat virium robur expellentis, necessario multi & magni efficiuntur bombi, qui sonant, papapax, papapapax, papapapapax, &c. Sicuti est apud Aristoph in nubib XVIII. Potest tamen & Diphtongorum causa in podice esse, quando videtur sit per se quidem amplus esse, & materia æqualis, ut ita unum simplicem edere posset: Sed post primum bombum invito forsitan elapsum mox podex, non satis tamen accuratè, (vincit enim materia naturam) constringitur, wenn man ihn abbißten wil. Ubi ob materiae copiam & ὀργασμὸν rursus diducitur & iterum occluditur non nihil, duratque hæc pugna naturæ cum materia tam diu, donec aut materia omnis elapsa & discussa sit, aut podex vi compressus reliquos flatu tempore commodiore emittendos retineat. Huc referendum est Martial. Epig. lib. 12. dum ait: Et



Et pedis deciesq; viciesq; De quo infra, &c.

XIX. De his autem Diphthongis etiam intelligi potest Priapus apud Horat. all. loc. Siquidem se tam magnum ventris crepitum reddidisse dicit, ut omnes veneficas fugarit. Non enim verisimile est uno simplici bombo sic territas, ut relictis herbis suis veneficis & serpentibus, tam contento cursu in urbem fugerint. Licet non negemus, primò potuisse simplicem magnum bombum in modum vesicæ displosæ præmisisse, quem deinde secutus sit diphthongus, qui Lamias jam territas, & fugam respectantes planè in pedes se dare coegerit, quod tamen Horat. brevitatis causa & tanquam vulgò notum omisit. Quæ interpretatio nobis loco illi obscurissimo & difficillimo videtur maximè congruens, licet de ea cum quoquam litigare nolimus.

XX. Talis autem Diphthongus, præsertim quando, ventre raphanis, cepis, allijs, pis, fabis, & aliis cibis instantibus, qui clarum sonitum efficiunt, probè saburrato, plures brevibus intervallis se invicem subsequuntur, adèd terribilis existit, ut pullos in ovis, fœtus in utero quandoq; perimat; Imò & diabolum ipsum fugare solet, sicuti ex multis Historijs accepimus, ex quibus unam exempli causa nobis hîc recitare sufficiat. Nam cum quidam à Dæmone valdè urgeretur, ut se ei dederet, assensit tandem si Diabolus tria præstaret Petijt igitur primò magnam vim auri: Data est à diabolo. Secundo, ut invisibilis fieret: Et ipsum diabolus docuit: Tertia vice, cum maximè anxius esset, quidnam peteret quod diabolus præstare non posset, ei fortè fortuna præ nimio metu elabatur diphthongus: ubi ille occasione hac arrepta mox ait ad diabolum: Heus tu diphthongum hunc mihi nodo si potes connecte; quod cum diabolus præstare non posset, & aliàs isto tormentario bombo territus fugeret, ille miser è præsentissimo animæ periculo hoc uno bono ereptus est. Sic legimus, domum dæmonibus infestam bombi beneficio liberatam. Cujus ratio nobis nulla alia videtur, quàm illa trita: Sic Ars deluditur arte: & Fallacia fallaciam, Cuneus cuneum trudit. Item majus lumen obfuscatur minus, & per consequens, tenebræ, odores, soni, &c. majores. Similium enim eadem doctrina & ratio, &c.

XXI. Licet autem terribilis sit, ut merito tonitru vocari possit, tamen salutaris est, ut postea dicetur. Hinc proverbium natum est: Magnum bombum magno talento æstimari.

XXII.

XXII. Ut plurimum quoq; non ita malè soetet nisi in intestinis aliqua putrefactio ex diutissima flatuum retentione suborta sit, ut sic loco interclusio computrescere incipiant, aut ex cibis comestis gravis odor adfit.

XXIII. Parvus vel SEMIVOCALIS est crepitus cum sonitu minore prorumpens, vel propter loci angustiam (qualis in virginibus nonnullis) vel propter exiguam flatu copiam. Germ. fortè ein *Brömer*.

XXIV. Hic rectè dividitur in Tenuem, Medium, & Aspiratum. TENUES, sunt semivocales vel crepitus parvi ex sicciore & pertenui materia per arum constrictim delati? Qui puellares rectè dicuntur, Germ. Ein *Nonnen* oder *Jungfrawfürlein* so fein spitzig/ daß einer die Zähne mit stören möchte.

XXV. Aspirati sunt semivocales vel crepitus parvi veluti strepitus anserum, ex materia humidior, ideoque obscuriore, per angustum locum, vel etiam patentem; sed materia pauca & deficientè, ita ut exactè strepitus fieri non possit, delati. Quales sunt pistorum. Germ. ein *Pfeiser* oder *Deckschiff*.

XXVI. Medij mediæ naturæ quodammodo inter utrosq; sunt, quando scilicet materia *δυσώματη* in quantitate & qualitate se mediocriter habens, & jam matura, per podicem nec nimis compressum, nec rusticè etiam diductum, sine ulla vi & naturæ impetu sponte elabatur. Germ. ein *züchtiger Bürgerlicher Schiff*.

XXVII. Ex his perspicuè animadverti potest, varietatem sonorum in his tribus generibus ut etiam alijs ex tribus causis præcipuè existere. 1. Materia flatu, quæ quo sicciore erit, eo spiritus clarior, quò humidior, eo obscurior: quo magis æqualior, & ejusdem naturæ, eo simplicior: quo diversarum magis partium, eo multi sonantior est. 2. Ex loci natura, qui quò angustior, eo acuatior, & tenuior sonus redditur, quò amplior, eo gravior. Quo & faciunt, gracilitas & crassities, inanitas & repletio intestinorum. (Inania enim magis tinnunt) 3. Denique virium robore, quo multum ad hanc rem facit. Quo enim propellens natura fortior, eo bombus major, &c. Horum itaque omnium varietate, varii quoq; existunt soni.

XXVIII. Declarari hæc res poterit exemplo tiliarum, tubarum & fistularum. Crassior enim & amplior tibia graviorem & obscuriorem dat sonum. Macræ verò vel tenues & angustæ, clariorem. Mediæ,

Mediæ; medium. Sic tubam validius inflat, validus & beue buccatus  
focius, debilius debilis & infirmus à flatibus. Ex fissuris quoque tuba-  
rum, fistularum &c. egregia & artificiosa conjectura sumitur. decrepi-  
tibus, cur nunc strideant, nunc non item, &c.

XXIX. Sed hic maximè ardua à Willichio movetur quæstio: An in  
hiscè crepibus possit esse Musica? Ad quam secundum illum Magi-  
straliter & resolutivè respondemus: Esse in diphthongis maximè, non  
quidem eam, quæ fit voce per ejus instrumenta, aut impulsu rei cujus-  
piam sonoræ, ut fit in chordis citharæ, vel testudinis aut psalterij: sed  
quæ fit spiritu, sicuti per tubam & tibiā redditur. Quapropter hic  
non est Harmonica vel *ψυμική* sed organica Musica, in qua, ut in a-  
lliis leges componendi & canendi non difficulter excogitari & consarci-  
nari possent, ita ut acuti & puellares primo loco, post illas mediæ vel  
civiles, aniles aut vetulares, ultimo graves vel viriles rusticorum statu-  
erentur, non secus ac Diatonico canendi genere per Pythagoram di-  
mensionem dispositum est. Wenn man das Lied machen wolle: Es wol-  
te ein Bawr einen Paltrock schneiden: Ründen es sich grobe Diphthongi-  
ssen sein den Bass darin halten. Ubi & observanda esset victus & perso-  
narum ratio. Nam ex subtiliore fumo, & angustiore loco acutior, ex  
nebuloso & spatio ampliori bis tanto gravior effertur sonus, Clariores  
enim sonitus faciunt qui siciores flatus gignunt; obscuriores, qui hu-  
midiores efficiunt. Quid multis? Alvus nihil aliud est, quàm organon  
*πολύφθογλον*, in quo quis etiam systema 12. troporum vel potius modo-  
rum citrà negotium colligeret.

XXX. Hic tamen notandum erit illud Philosophi: Quod omne sen-  
sibile excellens suum destruat sensum. Quare hic omnia moderata pla-  
cere debent; non gravis ille sonus & adeò magnus, qualis in Hispaniæ  
montibus & apud cataractas Schaffusienfes, qui homines exurdat. Ne-  
que enim adeo parvus esse debet, ut eum qui audit, audiendo fatiget.  
Mistura item sonorum diligenter observanda, tum ne semitonii adeò  
minutè concindatur, ut non percipiantur è sensu, tum non plures acuti  
vel graves in unisono conficiantur, quod infavem reddit Musicam,  
nisi quis choralem forte tentare vellet: Modorum denique habendus  
delectus, nec omnes sine discrimine usurpandi, sed tales, qui svavitatem  
adjuvent, quales sunt, Lyxoleibius, Hypolyxoleibius, Dorius, Hypo-  
dorius. His omnibus observatis, non impossibile est, ex pluribus ta-  
libus

libus inter se distantibus concentum fieri, qui exauditus pro miraculo habeatur.

XXXI. Quem ut surdus quoque audire possit, lanceam sumat, cujus unum caput ad anum musicantium apponat alterum dentibus apprehendat; quo pacto contingentiae beneficio omnia sonorum intervalla mirabili dulcedine percipiet, sicuti in simili à Cardano & Baptistâ Porcâ Neapol. demonstratum Quod si surdus iste, vel alius qui vis, etiam saporis particeps fieri cupit, musicamque etiam gustare, arundinem sumere præstabit, cujus capite altero ore apprehenso & spiritu fortiter adducto, voti compos evadet.

XXXII. Haftenus de vocalibus. Tempus ut nos ad MUTOS conferamus. qui sunt Peditus absque sonitu ex humidioribus quodammodo & paucioribus flatibus geniti: Et latinè propriè dicuntur VISIA, à verbo VISIRE, & Germanis est *Seisten* / sicuti Josephus Scalig. in suo Catallo testatur.

XXXIII. Sunt autem vel Sicci, vel Iquidi. *Sicci* absque crassiore materia pedentium & tacitè erumpunt, & Germanis vocantur, *Schleicher*. *Liquidi* verò, qui Germanico Idiomate dicuntur *Drempler* / semper se cum trahunt aliquid crassioris materiae vel olei liquidioris, quo flatum ventris obscuriorem efficit, & loco teli vel fulminis in hisce speciebus est. Facilitè autem ex subucula vel odore pessimo dijudicari possunt. Nam regula ista, quæ de ijs propriè constituta est, semper certa est *Liquida*. Muta Syllabam facit ancipitem: *Ein Dreck in den Hofen*. Quo referenda Historia Diaboli, qui cum stellet emittere crepitum, & permerdati braccis exiret liquidus mutus, podicis sui perfidiam detestatus indignabundus exclamavit vulgatum illud: *NUSQUAM* tuta fides, &c. Hinc illi, qui ejusmodi mutos liquidos præmetuentes braccas prius demittunt, aut indusium attollunt, prudentes appellantur.

XXXIV. Judicantur tamen hi liquidi salutare, quando sic sine sonitu excernuntur, quod indicent, non magnam esse spirituum copiam, & excrementa quoque liquidiora, quibus cum status illi absque periculo excernuntur. Materiae quoque simul maturitatem indicant & exonerandos lumbos, juxta illud:

*Maturum stercus est importabile pondus.*

Aliàs si cessetur, & illi cum telo redeant, multum negotii in braccis fa-

essunt.

XXXV. Atq; hæ sunt potissimæ divisiones à forma desumptæ, & per dichotomiam quantum fieri potuit, explicatæ; quæ si in omnibus observata non est nemini mirum esse debet, cum ipse Philosophus hanc sæpè impossibilem, sæpè absurdam esse, non uno loco dicat, 1. de part. animal. 6. Top.

XXXVI. Licet autem & secundum materiam flatuum, vel potius efficientem eorum causam eos dividere in Cepolos, alliatos, Raphanatos, Brassicatos, Farciminos, Pisones, Lentulos, Cicerones, Polentarios, &c. Item ex Adjunctis, in adfectatos & involuntarios. Sed hiad Prioros reduci possunt. Et ex postrema divisione Adfectatos inter probos viros vix tolerabilis est, nisi inter contubernales, & qui in eodem lecto tenentur, qui sonorum crepitum risu movendi aut se invicem vexandi gratia non semel advectant, adeoque clarè crepant, ut ænea tormenta quis putet. Interdum verò podice subucula occluso crepitum aut visum, sensum evolantes, candela admota incendunt, qui pulveris flagrantis instar ad æthera abit. Interdum verò Mutos manibus excipiunt, & sodalis naribus ex improviso dijudicandos adponunt (Pfluz Teufel. Vulgò eine warme Lochtaube.) quod tamen minus ferendum videtur. Alter verò Involuntarius qui scilicet nolentibus nobis aut resupinantibus aut se curvantibus aut etiam ex magno quandoque risu aut metu erumpit (qualis ille de quo supra) veniam mereri potest.

XXXVII. Expositis jam definitionibus earumque causis, de effectibus quoque non nihil monendum est, qui licet ratione causarum varii sint, & dissimiles, ad duo tamen summa genera reduci possunt, Bonorum & Malorum, ad quos tamen supremos fines Stoici, & hos secutus Cicero suas de finibus disputationes direxerunt.

XXXVIII. Boni per se semper sunt & salutares peditus omnes, quatenus scilicet homo illis liberatur. A pluribus enim morbis sanant ab Hypochondriaco dolore, furore, colicâ, torminibus ventris, Iliaca, &c. Sicuti contra, quando intrâ conduntur, & revolvuntur, vel occluduntur, flatus illi caput replent, & propter exhalationum multitudinem imaginem corrumpunt, Melancholicos, Phreneticos faciunt, aliisque gravissimis morbis hominem implicant. Hinc defluxiones in capite, ex fumorum Meteororum destillatione, quæ in subjectas partes derivantur, & tussis & catharros excitant, sicuti Medici frequenter inculcant. Quid multis? Non potest quis justam in studiis quarumlibet rerum

rum operam ponere, nisi idem omni pandiculatione, omnibus flatulen-  
tis torminibus & solutus & liberatus fuerit. Melius igitur vel maximè  
strepitu pedere, quàm Iliacos, aliosque gravissimos dolores perferre.

XXXIX. Quæ & ratio Imp. D. Claudium (sic à claudendo dictum;  
per antiphrasin, quasi minimè claudentem) nunquam satis laudatum  
movit, ut edicto veniam daret Ijs, qui in convivio efflatum & crepitum  
ventris emitterent. Vidit nimirum termax. ille, deque hominum salu-  
te optimè meritis, maximeque sollicitus Imp. quosdam nimis civiles  
(qui mori potius deligerent, quàm tale quid committere) ex tormen-  
tis vel Iliacis vel colicis adeo torqueri, ut vitam cum morte commu-  
tarent, sicuti Svetonius, Dio & alii Historici testantur, ex quibus Con-  
stitutio illa, quæ al. às in Codice, sicut alia multæ, Cujacio teste, desi-  
deratur, restituenda erit.

XL. Non est autem quod hæc cum civilitate morum pugnare quis  
rigidè contendat, siquidem ex puriore philosophia contrarium apertè  
probari posset, Stoicorum præsertim, quos Cicero ipse & omnes saniores  
philosophi in beatæ vitæ ratione tradenda reliquis longè anteponunt.

XLI. Hi igitur inter salutaria vitæ præcepta, Ructus & flatus liberos  
esse debere non tantum præceperunt, sed & gravissimis argumentis  
convicerunt, quæ Cicero in quadam ad Pætum Epistola (9. Famil. 174.)  
refert & strenuè defendit, (licet in Offic. in hæresin nescio quâ falsâ ho-  
nestatis specie relabatur) inter quæ hoc præcipuum est: Quod omnia  
& agenda & facienda sint, sicuti naturæ ductus exigit. Nec est quod hic  
quis de pudore multum garriat, qui etiamsi hæc locum haberet, quod  
tamen minimè concedimus; eum tamen devorare utile esset, ut corpus  
redimeretur. Cujus si quis prava ex consuetudine nihilominus adeo  
magnam curam habet, potest crepitum tussis vel pedum aut mensæ  
strepitus, vel cane adhibito dissimulare.

XLII. Quò pertinet & illud quod in subitis maximi usus esse sæpius  
compertum est, Natium scilicet compressio, podicis musculo summo  
simul nisi contracto & constricto. Sed hoc remedio qui uti volet, dili-  
genter cavere dicunt, ne illi eveniat, quod Priapo apud Horatium, qui  
diffusa ut ait nate maximum bombum emiserat. Et quod Aethoni apud  
Martialem, qui cum subito ventris torminibus obortis & flatibus in-  
gentibus, Jovem compressis validè natibus salutaret, corpusque vete-  
rum more precaturus resupinasset, gravissimè pepedit. Verfus Martia-  
lis, lib. 12. Epig. 78. hi sunt:

*Multis*

*Multis dum precibus Iovem salutat,  
Stans summos resupinus uq; in unguibus,  
Æthon in capitolio pepedit,  
Riserunt comites. Sed ipse Drum  
Offensus genitor, trinocetiali  
Affectit domi cenio clientem.  
Post hoc flagitium miscellus Æthon,  
Cum uult in Capitolium venire,  
Stellas ante pedis Patrioclanas,  
Et pedis deciesq; viciesq;  
Sed quamuis sibi caverit crepando,  
Compressis natibus Iovem & salutat;  
Turbatur tamen uq; & uq; pedis  
Mox Æthon, deciesq; viciesq;.*

Ita enim legendum & restituendum carmen illud, antiquissimi libri  
manuscripti, qui Romæ in Vaticano extat, autoritate probatur.

XLIII. Sed hic posset quis non immeritò quærere: Si quidem tam  
salutares sunt peditus, An etiam arte iuari possint, vel debeant? Et  
respondemus magistraliter, quoad expulsionem mali iam contracti,  
quod sic. Ad quod duplicia sunt remedia, 1. Quæ intra adhibentur, ut  
sunt Medica illa ex Aniso, Fœniculo, Ledoariâ, &c. calidaq; omnia, qui  
flatuum expulsionem maximè inserviunt. 2. Quæ foris adhibentur, ut  
clysteres, suppositoria, &c. Quo pertinet & modus ille ridiculus qui-  
dem; sed non contemnendus, quando quis instar canum mingentium  
pede uno, quod musculorum motus adjuventur, levato, & natibus di-  
ductis, crepitum maximo bombo expellit.

XLIV. Uvas verò & ficus recentes, pisa, aliaq; legumina, item rap-  
hanos, allia, cepas, & id generis flatulentula, & qui facile concoqui  
non possunt, edere, aut mustum bibere, vel venere multa uti, quo crudo  
stomacho crepitus adaugeantur, & luculenta tonitrua edantur: Id non  
est inter medicamenta mali, sed potius facere malum, ut eveniat bo-  
num. Cujus eventus cum sit dubius, nescio alicui consulere, ut hoc te-  
net, nisi forsitan certamen aliquod jocularè instituire, aut musicam  
quampiam venustam adornare vellet. Tunc enim arte rem iurare  
permittimus, quò citò & expeditè cantores pedere possint.

XLV. Atque hactenus de bonis Effectibus. Sequitur de Malis, qui

fiat odores & foetores pessimi, Induli signatio, Braccarum impletio, quæ hospites interdum à mensa fuget; in liquidis multis præsertim. Qui tamen effectus omnes, non sunt perpetui: Nam non semper, nec omnibus speciebus accident: Ita ut boni Effectus per se, & proprii sunt summo generi, ejusque speciebus omnibus. Mali autem saltem accidentarii.

XLVI. Potest quoque inter bonos & malos quidam effectus esse interjectus & medius, veluti rubor in facie ex verecundia ortus, qui prout in subjectum cadit, nunc bonus, nunc malus est, Media scilicet naturæ, sicuti Mercurius, qui bonis planetis sociatus, bonus est, malis, malus. Ita quoque rubor, prout in juvenem aut senem cadit. Nam in illo laudatur, in hoc vituperatur.

XLVII. Cæterum sicuti bonos effectus promovere docuimus, ita quoque malos cavere si quis velit, duplex iudem habet remedium, i. In Medicaminibus intrò assumptis, de quibus supra. In clysteribus & suppositorijs, quorum omnium beneficio quis octiduo ante, quam ad convivium iturus est, se satis sufficienter evacuare potest.

XLVIII. Illud inter salutares monere ferè obliti sumus, prodesse simul mejere & pedere, ex rationibus medicis multis hîc non alegandis, & versiculo vulgarissimo:

*Mingere cum bombis, res est gratissima lumbis.*

Unde quoque natum proverbium sine statu mingere, nihil aliud esse, quam proficisci Romam & non videre Papam. Licet plerumque prius mejatur, quam peditur. Nam dum unum alteri auxilio est, interdum status prius vesicam comprimentes urinam expellunt.

XLIX. Restat, ut de signis dicamus. Quæ vel Apodictica sunt, vel necessaria, vel probabilia. Apodictica, in quibus causa præfens effectum citò subsequaturum demonstrat: quale signum est Raphanorum, cepearum, &c. eius. Necessaria sunt, quando unus effectus jam secutus alterum quoque simul prodixisse, demonstrat, qualia sunt, odor malus, sonus, stridor, &c. Probabilia, quæ non semper nec omnibus speciebus accident. ut contractio, rugitus vel latratus ventris, tussis, pedum strepitus, &c.

L. Quæ signa si quis probè observaverit, artem ex iis condere GASTROLOGICAM, calendariaque de Peditibus certissima summa cum vulgi admiratione scribere poterit.

Libe-



Uberioris exercitii gratia.

Sequentia addimus Problemata.

1. *Queritur, An ubi multi status emittuntur, aliquid decedat Anima?*

Respondemus. Nihil quidem animæ ipsi per se decedere, ut quæ sit ameritios, sed animæ proximo & propriissimo instrumento, vitali scilicet spiritui. Et hoc tamen non semper, sed quando in magna copia simul emittuntur. Hunc enim, sicuti in omni copiosiore evacuatione accidit, vires debilitant resolvendo & consumendo vitales spiritus. Et ideo Muscantes illi perpetuo refocillandi erunt musto, cepis, raphanis, & similibus.

2. *An Horologia possint fieri ex crepitibus?*

Resp. Quod sic, cum sint motus numerantes tempus secundum prius & posterius.

3. *Cur Crepitus Imperatoribus assimiletur?*

Resp. Quia sicuti Imp. summam habet in subditis vita & necis potestatem, ita quoque crepitus aliquem servare & perdere possunt. Hinc versus Vincentii Obsopæi:

Et crepitus multos nequiens erumpere perdit:

Et servat, balbum quando dat ore sonum.

Ergo si servat crepitus, jugulatque sonando:

Regibus hunc magnis quis neget esse patrem?

4. *An hodie omnes pedrus sint legitimi?*

Resp. esse ex novâ Constitutione D. Claudii, quæ generaliter loquendo nullibi in jure reperitur correctâ aut restrictâ. Quod bene notent practicantes juris, & inter observationes cancerales referant.

5. *An persona pederis dignitas aliquid addat auctoritati peditis? Exempli gratia, an pedrus Papæ dignior sit, quam gregarii alicuius sacrisolis, ambobus eadem quantitate & qualitate existentibus?*

Resp. Quod sic. Nam Papæ aut Imp. alicujus crepitum nemo reprehendit, sed omnes salutis acclamatione approbant. Quod sicus in alijs inferioribus, qui interdum etiam ob id, contra omnia tamen jura, mutantur. Nam jura naturæ immutabilia sunt, & prava consuetudine contrariâ minimè mutantur.

6. *An peditis arte chymica distillari possint, ita ut educatur Quinta peditis essentia?*

Resp. Maximè: sed cum spiritus fiat, iecirco Recipiente amplo, quali  
utun-

untur in conficiendo oleo vitrioli, & podice arctè applicatò excipi-  
endi sunt maxima copia, deinde condensandi in oleosam substantiam  
sive balsamum, qui postea per circulationem in sole perfici debet. Et  
fiet Quinta essentia maximarum facultatum.

7. In Musicorum gratiam queritur, quot sint genera crepitiuum, secun-  
dum differentiam soni.

Resp. 62. Nam sicuti Cardanus ostendit, Podex quatuor modis sim-  
plicibus crepitiuum formas, Acutum, Gravem, Reflexum, & Liberum;  
Ex quibus compositis fiunt modi 58. quibus additis quatuor sim-  
plicibus erunt ex prolationis differentia 62. crepitiuum ge-  
nera. Qui volet computet.

F I N I S



rio-  
t di-  
stis,  
men  
m à  
a su-  
te  
nte,  
ra-  
altis,  
iquâ  
uod  
fin-





Ji 2149

ULB Halle 3  
002 410 087



sb.

VONA





DE PEDITU;  
EJUSQUE SPECIEBUS  
Crepitu & Visio:

DISCURSUS METHODICUS,  
In Theses digestus:

Quas  
Præside Clariss. Viro,  
**BOMBARDO STREVRTIO,**  
Clarefortensi,  
Defendere conabatur,  
**BULDRIANUS SCLOPETARIUS,**  
Blesensis.

Disputabuntur autem in Aedibus Divæ Cloacinae, à summo  
Mane, ad noctem usque mediam.

Habes hic Lector materiam plausibilem; sed & maximè utilem,  
non tantum Philosophis & Medicis, quorum hæc tractatio  
maximè propria est, verùm etiam Theologis, Jurisconsultis;  
tum Poetis, Criticis, Grammaticis, Nomenclatoribus,  
Musicis, tam Figuralistis quàm Choralistis, & tam  
Cantoribus quàm Symphonicis, Tibicinibus, Tubicinibus,  
Liticinibus, Buccinatoribus, Utriculariis, & ne multis  
morer, tam foeminis quàm masculis omnibus, tam laicis,  
quàm clericis. Singuli enim hic habebunt, quod eos juvet.

CLAREFORTI,  
Apud Stancarum Cœpollam: sub signo Divi Blasii.  
Anno MDC LXXI,

60  
59

